

Gottlob Friedrich Seligmann Daniel Albrecht

## De Philosopho Conciliatore

Rostochi[i]: Wepplingius, 1685

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn732446988>

Druck Freier  Zugang



*R u. phil 1685.*



Q. F. 5!

DE

PHILOSOPHO  
CONCILIA-  
TORE,

BENEVOLO AMPLISSIMÆ FACULTAT.  
PHILOSOPH. INDULTU,  
PRÆSIDE

*VIRO PL. REVER. EXCELLENTISS. AMPLISS.*

DN. GOTTLOB FRIDE-  
RICO *Seligmann*

METAPHYS. ET PHYS. PROF. PUBL. FAMIGE-  
RATISS. TEMPLIQ; CATHEDR. ARCHIDIAC. MERITISS;  
NEC NON

LIPSIAE ADHUC DUCALI COLLEGIAT. GRAVISS.

DN. PRÆCEPTORE AC STUDIORUM SUORUM PROMOTORE  
HONORANDO,

AD D. IV. APRIL. ANNO M DC LXXXV.

IN ALMÆ AD VARNUM

MAJORI AUDITORIO

PLACIDAM *αὐτῆς* INSTITUET

DANIEL ALBRECHT,

RIGA LIVONUS.

ROSTOCHL, PRÆLO JOH. WEPPLINGII,  
UNIV. TYPOGR.

1685

MAGNIS  
IN INCLUTA LIVONIÆ METROPOLI  
RIGA

TRANQUILLITATIS ET FELICITATIS  
PUBL. CONCILIATORIBUS ATQVE CONSER-  
VATORIBUS

VIRIS

MAGNIFICIS PER-STRENUIS NOBILIS-  
SIMIS AMPLISSIMIS CONSULTISSIMIS  
PRUDENTISSIMIS

DN. BURGGRAVIO  
REGIO

DNN. CONSULIBUS  
DN. SYNDICO  
TOTIQVE

SENATORIO ORDINI  
SPLENDIDISSIMO  
NEC NON

DNN. SECRETARIIS

UNIVERSIS PROIN PATRIÆ MEÆ DULCISSIMÆ  
PATRIBUS CONSCRIPTIS LUMINIBUS AC CO-  
LUMINIBUS CELEBRATISSIMIS

SUMMIS MUSARUM MÆCENATIBUS EVERGETIS AC  
PROMOTORIBUS MEIS  
SINGULARI OBSERVANTIÆ CULTU ÆVITERNUM  
DEVENERANDIS


*Hæc conamina PHILOSOPHI CONCILIATORIS in certissimum obstrictis  
sine mentis testimonium uberioresq. mei commendationem ea quæ  
par est devotione cum omnigena Salutis atq. Pacis aureæ à Salutis &  
Pacis Autore foto humillimè offero & consecro*

Daniel Albrecht, Respondens.



## C. D.

### I.



Didit anno proximè elápsò & ipsum hoc circà tempus ferè publici esse Juris jussit curatoris **PHYSICÆ CONAMINA** Altdorfinum Decus, DN. JOH. CHRISTOPH. STURMIUS, iisque, *succinctorum Aphorismorum* beneficio, illa præcipuè complexus est capita, quæ ulterius illustrandæ per **Discursus Physicæ** commodè queant feliciterque inservire; At isthâc methodo ac lege, ut *diversum sentientes erroris, non vitii, non malitiæ accuset, imò* (ceu loquitur in Præf. ad Lector.) *si fieri possit eorum hypothefes aut ex parte aut in totum cum suis conciliet:* **CONCILIATRICIS** inde Nomen indens *Discipline*, quam sic eximiè docet, *Naturali*. Non diffitemur, ubi opusculum hoc planè egregium ad nostras pervenisset manus, mirè nos confirmatos in proposito fuisse, quod non ità pridem susceperamus, inquirendi in **MEDIA**, quibus valeant & lites illæ Philosophorum, ut non omnes, multæ tamen placidius sopiri, & aperiri aditus ad veritatem minus impeditus: digna aliàs etiam jam visa nonnullis Autorum (α), quorum de ratione enucleanda & tentanda adplicatione cum cura essent solliciti.

(α) quos inter quantam laudem mereatur Joh. Baptista Du Hamel, si non inspectio ipsius Autoris, qui haud est omnibus ad manus, satis allegata Physicæ Sturmianæ, facillè parabilis, docere possunt. Vid. tamen ex ipso verba quædam scopum ejusdem exponentia infer. n. IV.

Quod negotium dum aggredi nunc animus est, subit in  
 antecessum hanc mentem conciliatio, quam in doctrinam de  
 vero Dei per Christum cultu ad vitam æternam, ex verbo cœ-  
 litus revelato solum derivatam, derivandam, inferre usque  
 huc conati sunt haud pauci; non citrà insignem veritatis ja-  
 cturam. (β) Quorum causas uti procul omninò habemus,  
 ità nec in illis sive terminis sive dogmatibus Philosophicis, quæ,  
 jam ab Orthodoxis sunt præparata satis, simul ac translata ad  
 Theologiam, aut dilucidè discussa, simul ac rejecta ex eadem  
 (γ), quidquam moliri. alibi s. impræsentiarum libet; quibus  
 ea saltim pervidere volupe est, quæ intra Philosophorum po-  
 mœria ac cancellos maximè subsistunt, ac Viris arrident in Sa-  
 pientia Hemisphærii inferioris (ut B. Scherzeri termino utar,  
 quanquam laxius paulo) versatissimis. Interim id non nega-  
 mus, quod in Theologicis ad veritatis indaginem & eversionem  
 opportunum, expediens, salutare, ac (non quidem absolute, cum  
 plurima controversiæ, absque synodali conventu è Scriptura Sacra  
 fuerint decise, sed ἀλλὰ τὸ εἶναι καὶ δογματικὸς εἶναι) ex τῶν ἁγίων ne-  
 cessarium sit remedium Symphonia (stylum Danhaueri (δ) a-  
 gnoscet L. B.) Synodica; quam tamen suo i. e. superiori ac The-  
 logorum foro relinqvimus.

(β) Vide quæ hanc in rem ex Irenicographo Heidelbergensi affert  
 B. Dannhauerus modò in Thesi cit. loc. artic. II. p. 125. ex quo Dannh.  
 loco sequentia hujusdem verba huc transferre placet. *Omne bellum  
 Theologicum nascitur, ex sententiæ vera, falsæque divorcio: si ob-  
 tineas eliquidatam Veritatem, cui nemo sanus resistere possit, si o-  
 mnes anomalias bona aliqua via ad unius veritatis parallelum re-  
 duxeris, pax erit.* Conf. de cet. Wagneri Refusc. acta, Syncret.  
 in præparat. (γ) quales Termini inter rejectos sunt ex loco de Pec-  
 cato *causaper accidens; & causa sine qua non* ex loco de B. O. &c.  
 vid. Theol. passim, (δ) vid. Syncret. præscr. sect. V. Artic. III. §. 8. p. 128.

III. Neque

## III.

Neque interim omnis Conciliatio in Philosophicis qua  
 fita campis nostrum impraesentiarum laborem distinebit. Ha-  
 bet *Γουπάτιος* Lipsiensium Polyhistor, Thomaeus, *ῥῦν ἐν ἀ-  
 γῶναις*, inter editas ante biennium Orationes aliquam de Syn-  
 cretismo Peripatetico Anno 1664. d. 28. Jan. recitatam, in  
 qua eorum solidè improbat institutum, *qui jam inde à Cice-  
 ronis aeo ad nostra usque tempora Philosophiam Aristotelicam  
 vel Platonice vel Christiana conciliare studuerunt*; Tametsi enim  
 eo ipso non adversus illos scripserit, *qui è Philosophis Gentili-  
 um* (verba ipsius Viri Excellentiss. rursus afferò), *veteres secuti  
 Eclecticis, proba tantum sacrisque consentanea literis excerpunt,  
 atque, ut Lactantius loquitur, veritatem sparsam per singulos, per  
 se etasq; diffusam colligunt in unum ac redigunt in corpus*; Quod  
 moderatè si fiat & absque tortura dogmatum vel sacrorum vel  
 profanorum reprehensionem non incurrit; Nihilominus merito  
 reddidit suspectos, meritò non admittendos censuiteos, qui de  
 Aristotelis (ε) cum verbo Dei harmonià laborandum sibi existi-  
 marunt; qui exoptarunt maximè, ut cum Platone Discipulus re-  
 dired in gratiam, quacunq; demum id ratione expediri posset.  
 Hos verò, personatos Autores pro ipsis veris in scenam protra-  
 here, Vir Beatiss. cum ostendat (ζ), nostro ad jungere, de quo  
 nunc loqui intendimus, CONCILIATORI, minus esse conve-  
 niens arbitramur; hinc ipsos cum nonnullis aliis (η) dimittimus.

(ε) Simile quid sibi de Cartesio promisit Amerpoël, qui Cartesium  
 scripsit Mosaizantem; quam verè verò siterit, nunc non vacat  
 inquirere, videbit fors quilibet, libellum evolvens ipsum, qua me-  
 reantur in isthoc Autore censuram. (ζ) fit id p. 344. Orat. XV.  
 ad quam in Thesi provocatur, conf. notas anteced. p. 343. atque ibi-  
 dem reperiendos *scæni Platonici & stramineorum Aristotelicorum*  
 titulos tecum perpende. (η) Ad Libertinismum propendentibus;  
 de quibus Programma B. Thomae, citat, vid. inter notas, laudatæ  
 jamjam Orat. adne xas, & quid. p. 326.

A3

IV. SCO-

Scopus noster est, ejus ponderare studia, perpendere conatus, qui pratermissis, quæcunque vitari bonis modis poterant, aut si nequeant prateriri planè, declaratis modestissime controversiis, id curatè agit, ut & ipse in rerum curiosè ac distinctè perspectarum scientia proficiat indies & alios proficere doceat sine litibus, certè cumulatis; indeque omnium penè Philosophorum disciplinas pro virili lustrat, atque ex iis, quod verisimillimum est, tanquam suum arripit; extremas opiniones ad justum temperamentum adducit; easque demum, quæ non tam inter se dissident, quam primo aspectu videntur, ut fieri optime potest, reddit sibi consonas, i. e. conciliat. (9) Nam huc reduci posse CONCILIATORIS PHILOSOPHI MUNUS, discimus ex Ratione Operis abs J. B. DU HAMEL libris suis de Consensu veteris & nov. Philosoph. præfixâ; unde & posteriora verba potissimum deprompta sunt. Adde his illa Excellentiss. STURMII, quibus asserit, se in PHYSICÆ suæ CONCILIATRICES conaminibus veterum plurima vel approbasse omninò vel excusasse & docuisse, quod verum recentius detectum ipsi si non perspexerint penitus, saltem non longè abfuerint; unà tamen modernorum ingeniorum inventa & cogitata justo aestimasse pretio, nihilque eorum nomine uspiam aspernatum esse, quod vel antiquitatis decretis, vel aestimatorum hodiè Philosophorum placitis non consentiret; Sed id unò verbo omniconatu studioque egisse, ut in gratiam, si fieri posset, & quoad ejus fieri posset, universos reduceret, id quod non solum civilitatis esse & humanitatis, sed scientiarum augmentis immane quantum prodesse posse, firmiter persuasum sibi habere apertissime proficitur. His VIR laudatissimus lineis delineat eum, cujus Sciagraphiam, nos intendimus per opellam hanc; quam obrem etiam easdem huc transcribere non sumus veriti.

(9) Nam quid est conciliare? nisi sententias pugnantes redigere in Concordiam. Ita B. Thomas, in allegat. Orat. p. 328, quamquam sub

Tubalia planè, scil. ad Syncretistas illos, quos refutat & quibuscum nobis nihil est negotii, adplicatione.

V.

Adparet vero ex his positis, in **CONCILIATORE** No-  
stro requiri I. *Animum abs altercandi libidine alienum*, Po-  
nunt eundem quoque inter sui **CONCILIATORIS** requisita  
Politici. Unde est, quod Priolus Fabium Chigium in publica  
tranquillitate procuranda magis laudet quam *Contarenum*, quo-  
niam hic *ingenio acris, sed impotenti erat*, atque hinc *vehementius interdum quam cautius agebat*; ille verò *Virum se exhibebat ingenio placido præditum, qui omnia studeret amoliri, quæ pacis negotium aut turbare aut retardare viderentur* (i) Quas autem remoras opponat veritatis scrutinio ad rixas propensa mens, si quis alius, eruditè evolvit Baconus, litigiosæ subtilitatis vitia penitus exponens (x) Non adeò attingentes cetera, allegamus præcipuè judicium illustri VIRI de re totâ: *Certè, inqviens, quemadmodum complura corpora naturalia, dum valent integra, corrumpuntur sapius & abeunt in vermes, eodem modo sana & solida rerum cognitio saepe numero putrescit, & solvitur in subtiles, vanas, insalubres & (si ita loqui licet) vermiculatas quæstiones, quæ motu quodam & vivacitate nonnulla prædicte videntur; Sed putridæ sunt & nullius usus. Addimus tamen, quod post plura alia addit ipse de Seneca (quò jure, quæve injuriâ disputent alii) dictum, quod verborum minutis rerum fregerit pondera, atque accommodat ad hanc contentiosam Philosophiam, asserens, quod quæstionum minutis scientiarum frangat robur; quibus adnectendum & illud est de hujusmodi altercationibus, quod ut plurimum comitari ipsas soleat cavillandi & criminandi exercitium: quasi, inquit Sturmius in præfat. sapius laudata, veritas defendi non possit, nisi humanitate prius exuta, nec intellectus error demonstrari dissentientibus, nisi aversa ab ipsis penitus & inurbanitatis, calumniarum, commatunquæ deperatis aculeis exacerbata voluntate.*

(i) Hist,

(6) Hist. Gall. L. 10. c. 3. & 7. vid. eadem in Disp. ante septenn. fere  
pro loco Lips. hab. de iis, qui se in pacificationem interponunt  
§. 26. (x) de A. Sc. L. 1. f. 16.

VI.

Nolim interim hæc ita explicari, ac si disquirendi tentaminibus eò pacto omnis præclusa via censeri debeat. Imò verò quo minus speranda est omnimoda omnium planè ingeniorum conformitas, eò certius dirigenda sic venit industria nostra, ut & vera affirmare, ac vindicare, & falsa seponere, ac refutare discamus pariter ac verum; sed modo proponendi pacatam mentem concedere, accuratumque studium arguente. Commendantur hinc meritò voces abs jactantia ac irritatione alienæ: deprædicantur formulæ quæ fugiunt præ aliis eminentiam ( $\lambda$ ); exornatur meritis encomiis amorifluus Poppyismus, quem in B. Lütkemanno publicè evexit B. Danhauerus ( $\mu$ ); modò & alterum eviteretur extremum, quod hic sese immiscere potest, estque partium minus decens, minus solidè fundata persuasio, quam à L. Gellio Publicola tentatam Cicero *jocularare* vocavit & à multis sæpè *derisum consilium* ( $\nu$ ); quò nec vitia committantur moralia, nec admittantur intellectualia: quæ utraqve aliàs in Adversario suo nuper ut invenit ita more suo i. e. accuratissimè detexit Venerandus DN. D. ALBERTI, in præfamine, susceptæ Serenissimi Electoris jussu Scripti Pontificii de Confessione Augustana & Anti-Augustana refutationi præmissa, ad quod ablego meritò legendum relegendumque ( $\xi$ ): Nam suggeret illud plures, quæ circa primum CONCILIATORIS nostri requisitum observari debent, cautelas ( $\theta$ ).

(x) Irritantes ad voces quod attinet, incidit illud Catonis, ad quod saltim provocare libet, ubi *maledicere* & *malè audire* conjunguntur; vid. Erasmi. L. 5. Apoth. 45. De iis verò, qui eminentiam quærent, quid sentiendum sit, dictum fuit in Exercit. Anti Cartesiano. *De illis, quæ in dubium vocari possè credidit Cartes.* ante biennium hinc publicato, ubi

to, ubi illæ Cartesii formulæ, quibus se aliis præferre ausus fuit, notatæ sunt. Laudari interim meretur singularis Boylei modestia, quæ in suis assertis adhibere solet, ut vel ex illa, quam de absoluta scripsit quiete, Dissertatione patefcit. ( $\mu$ ) Hodosoph. p. 630. ( $\nu$ ) vid. sæpius citat. Thomaf. Orat. quoque citat. p. 328 ( $\xi$ ) à v. 15. ubi videbis criminationes etiam primo loco censerî, imprimis à §. 34. quædo & ea, quæ ante Disputationem, unâ cum iis, quæ in ipsâ Disputatione non negligenda sunt, dexterrimè Vir laudatissimus monet.

VII.

Pergimus ad alterum, quod ex positis in Nostro requiri CONCILIATORE adparet; eritque id *ingenua abs cæcis affectibus ac præjudiciis libertas*. Et hanc ipsam in suo quoque Conciliatore deesse nolunt Politici, ne quid fiat, quò alteri favere parti, odisse alteram meritò suò credatur ( $\pi$ ). Varia hic erunt non nihil attentenda. Ordinar abs cæcitate affectuum; quam advertere licet in minus provido jam *propriarum, jam alienarum opinionum* æstimo; quò laborare nonnulli nimio opere videntur. Arguit istud, quò *propriis inventis delectatur unice, inordinatam* in ejusmodi hominis animo *Philantiam* residere, unâ cum oriundâ ex eadem *sibi sapere volente prudentiâ*. De quarum *priori* (Philantia videl. perversâ) nervosè docet Philosophus ( $\rho$ ), quod *seipsam & vicinos ledat, affectus sequens vitiosos*; en cœcitatem! de posteriori autem (prudentiâ nimirum sibi sapiente) ex Cicerone ait Baconus ( $\sigma$ ), quod *sit sui amans sine rivali*, ò quàm cœca igitur! quod & ii, qui eadem gaudent, *cum sibi per totâ vitam sacrificaverint, in exitu sacrificent in constantia!* ò quàm igitur infortunati! addo: ò quàm audaces ut plurimum & temerarii! Audaciam demonstrant *conatus se quocunque modo anteferendi aliis*; temeritatem *sinistrum* de quibusvis *judicium*. Ad ILLOS (conatus) pertinent, quæ de sermonibus Verulamius scripsit, monens, à quibusdam in iis *affectari laudem potius ingenij, cujus beneficio in quâmcunque partem disputare possint, quàm judicii in veritate enucleandâ: ac si laudabile esset, invenire*

*scire quid dici possit, non quid taceri debeat; cum pars sermonis honoratior vicissim hæcputanda; ansam sermonis præbere Erusus eidem moderari ac ad alia transire; ceu pluribus deducit Vir circa interiora (τ) rerum, ut fas erat evolvenda, feliciter occupatus. Pertinent ad eosdem quoque, quæ alibi eruditè de Eruditorum vitiis scripta lego (u): *Qui studet eminere aut famam venatur, vel compilando librum, vel laceffendo claros viros, & letitiam nova scita, Civitati aut Religioni noxia, proponendo talem se consequi posse sperat. Cogitet quisq; bonus, annon hæc, quæ impræsentiarum notasse sufficiat, audaciam demonstrent? Tantum jam de conatibus. Ad HOC (judicium, sinistrum volo) spectant Menzini Florentini observationes de literatorum hominum invidia ab Experientiss. Dn. D. MAJORE Tractatui de errante genio subjunctæ, ex quibus integrum sit, quædam excerpere; Ita verò ille in c. 3. *Uni aut alteri nocere parum putat invidus: parata habet in omnes infestissima tela, imò cum non ratione sed mentis feratur impetu, de latibulo prodit, cruenta bestia, quæ rabida fame correpta obviam qualibet petit ad morsu. & paulò post: ea in re tantum sibi invidios constare denunciatur, ut in omnium scriptionum genere inveniant semper, quod non probent. Item c. IV. & illos interdum ludibrio haberi, quæritur, quibus multæ & reconditæ literæ honorem facillè conciliarent, nisi eorum amplitudini invidientium turba fraudi esset. Quæ omnia, ut reliquæ (Φ) prætermittam, quis non videt, à CONCILIATORE NOSTRO, quò cautiorem se præstet ac moderatiorem, jure meritoque removeri?***

(π) Allegat hanc in rem Macchiav. Hist. Flor. citat. super. Dissert. de iis qui se in Pacif. interpon. §. 21. (ϑ) N. com. IX. §. (σ) Sermon. fidel. n. 23. f. 1178. (τ) Ita inscribit idem illustri Autor modò cit. Sermon. fideles, evolvatur ergo num. XXXII. & reperietur de variis huc facientibus judicium. (u) verba sunt Excell. Rechenberg. in Dissertat. De vitiis, quibus Civitas impar est, Aphor. III. §. 2. adde his Verulam. de Ambitione, cujus asserta & ad hanc rem  
 f. m.

l. 2a. applicari queunt. v. Serm. fidel. n. 35. (P). qvalia sunt de ma-  
ledicentia & ceteris technis cap. 10. & 12. vid. enim ipse Tr.

VIII.

Atq; haftenus de *propriis inventis* breviter. Dicendum etiam  
aliquid est de iis, qui *alienas* amore nimio prosequuntur *Sen-*  
*tentias*. Nolo hic repetere de autoritatis cultu alibi in medium  
producta (x). Perplacent enim illa, quibus negotiū hocce totū  
complexus est, Disputationem de *Autoritate Interpretum Naturae*  
finiens, Dn. STURMIUS: *Venerandus Plato; amplectendus Aristot-*  
*teles; audiendus etiā Epicurus; honorandus cum Democrito Gassen-*  
*dus; aestimandus Cartesius; Amici ceteri; sed (repeto auro gemma-*  
*que dignam Stagiritae vocem) ὄτιον ἀεὶ νῦν ἀνθρώπων, magis*  
*veneranda; magis amica, Veritas.* Quis enim in his non acqui-  
escat? Ipsam igitur Philosophiam Sectariam breviusculis respi-  
cere jam concedet: quam vis & hanc, cum abs non paucis ame-  
tur, praeterire mallems, nisi etiā à Dn. Sturmio in *Praefat. Conci-*  
*liatricis Phys.* suggererentur verba quaedā Aristotelis, sapienter  
judicantis, quod *possibile non sit, ut vel unus omnem veritatem re-*  
*ctè assequatur, vel omnes ab eā penitus aberrant.* Sic enim pate-  
scit aditus ad perspicienda hujus Philosophandi modi notata  
passim incommoda; quæ inter & hoc non ultimum est, quod  
ingeniorum, sectis nomina sua dantium, ex se gignere vi-  
deatur *servitutem!* quæ eò aliquando quendam è doctorū nu-  
mero perduxerat, ut ne cogeretur *confiteri veras esse antea non*  
*visas stellas, & varias curiosas novitates in cælo à Galileo repertas,*  
*voluerit unquam Telescopium oculo admoveere:* quod Franciscus  
Redi in observationibus de viperis, teste laudato sapius Dn.  
Sturm. in *Dissertat. de Philosophiā Sectaria & Electiva* retulit:  
Ex quâ etiam illud alterum depromere visum est, quod Riccio-  
lus in *Almagest. Nov.* narrat: *Quendam Patavii Professore*  
*Publ. Philosophiæ adiiisse Galileum, rogavisseq; ut explicaret sibi,*  
*quid significaretur nomine Parallaxis, sibi enim jam prædefinitum*  
*esse sibi illam impugnare, quod audivisset adhiberi à nonnullis*

contra opinionem Aristotelis de Cometarum loco; cui Galilaus le-  
niter subridens: Ergone, Domine mi, obfirmasti animum tuum, ut  
contra illud nomen disceptes, cuius significationem ignoras? Alia  
omittam, prolixius in isthac Dissertatione elucidata; cum vel ex  
his clarescat, quam sic legitima Conciliatricis Physicæ in Præ-  
fatione querela, edocentis, partem maximam veri, quod partium studio  
abrepti, in aliorum scriptis ac meditationibus agnoscere non potue-  
runt elabi, atque insimul irreparabile illud tempus, quod in ipsa veri  
seriâ inquisitione poni uiliter potuisset, in effingendis limitatiunculis,  
distinctiunculis & effugiis, quibus labanti cuidam hypothese ferre  
suppetias, & exspiraturis paulo post opinionibus aliquo usque saltem mi-  
seram vitam extrahere liceat, vel in affingendis opposita Sententiæ  
absurditatibus, aut, si quibus forte reuera laborer, vitis ac navis  
exaggerandis & perstringendis consumi, ubi unius in verba Ma-  
gistri jurare visum sit. Unde mirum videri non potest, indif-  
ferenti potius affectu consulere Autores CONCILIATOREM  
nostrum, sibi que habere illud Senecæ (α) præfixum: Non me  
cuiquam mancipavi, nullius nomen fero; Multum magnorum  
virorum iudicio credo, aliquid & meo vindico: Non ergo sequor  
prios? facio. Sed permitto mihi & invenire aliquid & mutare  
& relinquere. Non servo illis, sed assentior. Multum egerunt,  
qui ante nos fuerunt, sed non peregerunt; suspiciendi tamen sunt,  
non ut Domini, sed ut Duces. (α) Nec non istud Cæsalpini Peri-  
pateticæ acutissimi, in præfat. quaestione Peripater. Solent multi  
eos reprehendere, quicunque novi aliquid afferunt. Quibus illud  
respondeo: superfluum esse scribere, quæ scripta sunt: Nolle  
autem sua communicare, quæ acunquo fuerint, aut ignavia aut  
invidia tribui oportere. Malim ego certe mea proferendo doctissi-  
morum Virorum iudicio subijci, quam tacendo examen subterfu-  
gere (β). Interim haud probare eundem Cyclopicam Philoso-  
phandi licentiam; sed merito venerari debere limites à pieta-  
te ac Christianâ religione sibi postos, non obliviscimur; ut ita

sinceræ non minus quàm veræ paci liceat, ad quam ipsum in antecedentibus postulata jam præpararunt, quæ nec contra eos, quibus Sectaria arridet, hunc patiuntur esse vehementem, sed jubent eò eniti, ut ostendat illis, quàm multum adhuc restet operis; & quod nec ulli nato post mille, si speranda, secula, præclusa credi queat occasio aliquid adhuc adjiciendi; hoc enim pacto optimè enervabitur nimium in alios directum æstimum.

(x) In Disp. de Bono Cunctat. §. 18. (ψ) quæ aliàs pluribus considerat Dn. Sturm. in Disp. abs nobis in Thesi allegat. c. 3. in cujus §. 6. & 5. quæ nos adduximus leguntur. (ω) ex pluribus locis hoc unum conflatum est, adnexis à Dn. Sturmio paginæ titulari de Auctoritat. Interpr. Nat. (α) non recedunt ab hoc consilio Honorati Fabri Jesuitæ ingeniosissimi, inter modernos omnium maximè, ut ait Dn. Sturmio, colentis Peripati nomen, abs laudato modo Dn. Sturmio recitata cit. Disp. de Electiv. Philos. c. 4. §. 7. (β) præmisit hunc Cæsalpini locum Dn. Sturm. Dissertat. de Magnor. corporum Magnetismo. (γ) hosce limites temperatæ Philosophiæ suæ ponit Bo. Thomaf. Orat. superius cit. p. 324.

IX.

At vocant præjudicia magnum, nisi tempestivè coercerantur, malum, nec à cœcitate jam perlustratâ adeò diffitum. Sicut verò illa in judiciis multum justitiæ nocent (d); sic & Conciliationis, quam nos hic contemplamur, causam quàm maximè turbant inanemque reddunt. Quorsum illa faciunt, quæ de altioribus profert B. Dannhauerus, Artic. II. compendati per Christianum Symphonismum Syncretismi, *Qui hoc inquam, consilio ad pacis negotium accedit, ut profiteatur se nihil remissurum, adversarium teneri ad revocationem erroris, non facile habebit, cum quò transigat. Simulandus saltem veritatis venatus, vestigiorum exploratio, retium expansio, ut lueri facias qui cum pax incunda est, tametsi veritatem in sinu Scutalibus quasi jam captam & reperiã teneas.* Egregiè August.

Ad Manicheos: Nemo nostrum dicat jam se invenisse veritatem: sicam quæramus, quasi jam ab utrisque nesciatur, ita enim diligenter & concorditer queri poterit, si nulla temeraria præsumptione inventa & cognita esse credatur. Quod si, ceu prolixius ille monstrat (ε), ad compescendas controversias superiores dictâ viâ accedendum, quid statuendum fuerit de nostris? De quibus sanè & alia quædam ex eodem loco valere possunt, sed nostrum accommodata ad scopum, h. m. *Magna est Medicina & Philosophiæ convenientia: ut illa imperfecta est ac morbum potius exulcerat, quam sanat, quæ in redivis curandis occupata, ipsis morbi aut vulneris intimis quasi venis & visceribus non medetur; ita omnis in hac labor pacificatorius imperfectus est, qui ipsam scientiæ sedem, rectam rationem, non ferit.* Nunquam feriet, qui præjudiciis præpeditus non satis solida posuit sententiæ conciliandæ intra mentem suam, evidentissimè prius informandam, quàm quid profiteatur, fundamenta. Ut habeat ergo & Conciliator Noster ab istis obstaculis libertatem, non absque ratione postulamus.

(δ) Videatur jam alibi allegatus locus Verulam, ex fol. 215. (ε) provocatque proinde ad aberrationem à janua pacis tum Irenicogr. Heidelbergens. tum etiam Thorunienfium, vid. ipsum B. Dannh. pag. 125.

X.

Videor diu satis in hæsisse requisito secundo; monet tempus, ut aggrediar III. quod in sectis atque Autoribus, quos inter pacem tentat, versatum esse vult **CONCILIATOREM NOSTRUM**. Et diversitatem quidem sectarum quis nescit magnam: quis ignorat majorem esse (ζ) Autorum? Interim tamen & id certum est, ex utrisque, si placeat collatio, selectiores constitui, jamq; distinctè, jam conjunctim illustrari posse. Quæ in reglaciem videtur fregisse Joh. Baptist. Du Hamel, qui in Priori Operis sui, de Consensu Veteris & Nov. Philosoph. libro, Physicam generalem ita explicat, ut Platonis, Aristotelis,

telis, Epicuri & Cartesii decreta inter se conferre nitatur; vnde  
 deatque ubi discrepent, ubi convenient. (7) In posteriori natu-  
 ram ipsam iudicii de Elementis formandi mensuram facit, et  
 facilitate, ut, quæ admodum testatur ratio operis, etiam non ad-  
 eò à Philosophia instructis viam efficere sic satis benè suscipiat  
 patientiorem, Eam verò curatius perfecisse imò perfecturum es-  
 se Dn. Sturmium, uti jam jam docent Conciliatricis conamina;  
 sic docebit amplius ipsa Physica ECLECTICA sive HYPOTHE-  
 TICA, quam meditatatur, magnamque partem confectam ha-  
 bet, eòdem quidem fine & consilio, sed alià planè & aliàs ipsi fa-  
 miliari methodo, ut sc. primum *Phænomena*, deinde præcipuas  
 antiquiorum pariter ac modernorum Philosophorum *hypothese-*  
*ses* enucleet, tandemque suam *ἐκλεξὴν* & *Epicr. sin. modesti* & *pro-*  
*cul omni partium studio ita subjiciat, ut quænam enarratarum hy-*  
*pothesium ad veritatis scopum collineasse videatur, unà cum ratio-*  
*nibus, petitis ex Phænom. ipsis eandem aperiat, ceteras cum illà op-*  
*timâ, quantum pote, conciliet, aut defectus moderatè notet sua-*  
*que illustrantia non omitat;* velut Ideam hanc Vir Celeberr.  
 Ipse in adductâ sapius Præfat. editi nuper opusc. proposuit, ubi  
 mens ejus clariùs potest perspicui. Nos hic maximè ejus Can-  
 dorem venerati, hunc ipsum inter Nostri Conciliatoris genui-  
 na axiomata locamus.

(8) Conf. Autores de Sectis & Scriptorib. Philos. Sane si Theologia, quæ  
 divinitus revelato nititur fundamento, non potuit esse absque Sectis,  
 quid ausit præsumere Philosoph. Item si tempore Salomonis jam il-  
 lud obtinuit: *Faciendi libros multos, nullus est finis;* quid nunc di-  
 cendum? vid. declarat. dicti Salomonæ in Dedicat. Hodof. à B.  
 Dannh. præmiss. (9) Conter vel exord. confestim libri capitisque  
 primi; & collationis aliquod specimen animadvertes.

#### XI.

Observantur aliàs circa Autorum Lectionem abusus va-  
 rii, dum *callidi* plurimos contemnunt, *simplices*, quoslibet ad-  
 mirantur, *prudenter* demum opera eorum, quantum par est,  
 utun-

utuntur. Hinc Baconus inter sermones fideles non potuit non aliquem Librorum Lectioni locum destinare (9); ex quo hæc depromimus: *Sunt libri, quos leviter tantum degustare convenit; sunt, quos deglutire, cursimque legere oportet; sunt denique, sed pauci admodum, quos ruminare & digerere par est. Hoc est, ipsò exponente, Libri quidam per partes tantum inspiciendi; alii per legendi quidem, sed non multum temporis in iisdem evolvendis, insumendum; alii autem pauci diligenter evolvendi & adhibita attentione singulari.* Hisce Vir illustris more suo i. e. eruditè hoc negotium declarat; quæ ad rem præsentem non malè, opinor, transferimus, aliquos libros penitus prævideri debere, aliquibus tantam haud desiderantibus industriam arbitrati. Eos tamen, quibuscum principe est transigendum loco, ita evolvendos statuimus, ut suis partibus satisfacturus Noster à capite ad calcem, quæ in iis contineantur, exactissimè noscat, sciatque proin verum controversiæ formare statum (i); Sciat etiam propriis alterum argumentis interdum vincere; discat loquendi modos, non prætermittat scriptorum occasionem, nexum, scopum, totamque Historiam, & in hæc mores ipsius scribentis ne negligat, &c. (x) feliciter in Conciliatione progressurus, istis si subsidiis sit præmunitus.

(9) est titulus eidem materiæ destinatus XLVIII. unde etiam antecedentia nostra, de literis dicta, huc adaptavimus. (i) vid. cautelas ex Venerand. Dn. D. Alberti Refutat Scripti Pontific. superius allegatas. nam si conferes locum ipsum leges plurimos in adversario ipsius defectus nostram h. l. mentem illustrantes. (x) hanc in rem allego B. Dannh. Dram. sacr. Aët. I. Theat. I. Phænom. VIII. p. 254. sqq. Item Gerhard. Joh. Vossium de Philosoph. p. 12. ubi §. 18. hoc axioma ponit: Utile esse, ut in Philosopho observemus, quam rationem insittat in philosophando; uti, quod Aristoteles prius refutet aliorum opiniones, quam propriam exponat; quod prius *Φαινόμενα* atque historiam referat, quam causas inquirat &c. Adde p. 14. §. 18. ubi de discretionem scriptorum extat monitum &c.

XII. Ad



posse Regulis, confici, huic animo habemus persuasum. *Prima* sit: *Apparenter pugnantia discernantur à veris, ne ibi quærat*  
*tur laboriose pugna acrior, ubi vel nulla est vel facile tollenda.*  
Repetendum h. l. ex doctrinâ de Oppositione, quod ad eam  
præter eosdem terminos, eandemque subjecti partem, idem  
requiratur respectus, idem tempus, ita, ut juxta hæc omnia  
una enunciatio affirmetur, altera negetur, ceu passim à Logico-  
rum filiis doceri scimus; additò hòc axiomatico, quod vera op-  
positio censi nequeat, ubi enumeratæ istæ conditiones non  
adsint universæ. Solent verò citra has pugnam præsentantia,  
*εναρτιοφανή* vocari; à quibus nec omninò liberam Scripturam  
esse Harmoniarum Autores fatentur; non omissis illorum  
causis, ita comparatis tamen, *ut nulla earum penes Scripturam re-*  
*spondeat, quæ sibi semper est similis, & probè constans, sed penes Le-*  
*ctores, qui nec pari devotione, nec diligentia, nec animo, eandem*  
*legunt & evolvunt* (π). Unde ne mirare, libris mundanâ abs sa-  
pientiâ profectis hæc fata multò sapius evenire, ut suis gaudeant  
*ἀντιλογίαις*, verum & his attentâ Lectione nonnunquam  
haud difficulter resolvablebus (ε). Interim quod in scriptis iis-  
dem observare licet, quis dubitet competere diversis? Quin,  
arbitror ego, in rebus Philosophicis quam plurimas lites ad  
classẽ apparentium reduci posse ac debere. Quod ut clarescat,  
conferri velim unum alterumve exemplum abs Dn. Sturmio in  
Conaminibus conciliatum. Sic, alia videtur loqui  
Cartesius materiam statuens subtilissimam, alia Analogam e-  
lemento stellarum asserens Aristoteles; quam benè verò con-  
sentiat uterque Autor, ostensa per loca abs Viro laudatissimo  
insinuatur (σ). Sunt etiam multi, qui Aristotelicam motus defi-  
nitionẽ ex Physices scientiâ exturbatam volunt, de quibus tamẽ  
Dn. Sturmius optimè monet, quod ab horum definitionibus  
illa nequaquam abeat (τ). Et quantas moverint Philosophiæ Na-  
turalis Cultores Controversias circa occultas qualitates, vix  
satis definiri potest; mens tamen controvertentium si undi-  
qua-

quæque declaretur, amica pax conspicitur (v). Scilicet; is conciliandi modus in his apparenter pugnantibus obtinet, ut loca & Sententiæ Autorum, utrinque collatæ, non tam ex vocibus semper, quàm intentione judicentur, & si per hanc illæ, minus curatæ, limitari possint, quærat terminus distingvens, & subtrahatur an fas toti controversiæ.

(π) Vid. Walther. Harmon. totius Scriptur. libello priori c. 2. §. 13.

(ρ) Sic & nõrunt Antinomias suas Jcti; sic vix ullum erit, quod non aliquò modo sua agnoscat Antilegomena, scriptum. (σ) Physic. Conciliatric. p. 29. notanda verò etiam in primis verba finalia hujus rei p. 30. Quod illa analoga stellarum dicatur etiam aliquando Spiritus. conf. p. 113. (τ) Ibid. p. 44. (υ) Ibid. p. 68. sqq.

#### XIV.

Secunda sit: *Ea quoque, quæ revera pugnant, cum non semper ex omni pugnent parte, quæ amicitiam admittunt, probentur; quæ discordiam fovent, si fieri potest emolliantur, aut hancce & non aliam amplecti sententiam cur fas sit, solidis ostendatur rationibus, suppeditatâ tamẽ jam superius cum cautione, ne nostris verbis offendere studeamus Antagonistam.* Obtinet partialis pugna jam in ipsis hypothesibus (φ), jam in assertis inde deductis. Valet Regula utrobique, & quoad illas jam adplicata fuit in controversia, quæ Venerando apud Inclutos Lipsientes Præceptorum Meo abs Excell. Francofurtensium Professore jam ante annos aliquot circa noticiam hypotheseos de Statu Integritatis Juri Naturali substratæ, mota, publicisque in Disputationibus expedita (χ) legitur. In his verò si nostras versari diu cogitationes juberemus, de selectus facilitate, desperandum foret. Conciliationis interim ut aliqua ratio hic adpareat, sum exemplum quoddam allegaturus saltim. Scilicet, agitantur de formarum substantialium origine & productione litigia hinc inde sat nota; aliquibus pro educatione, aliis pro inductione, nonnullis pro gradatione loquentibus. Sed ô quàm egregiè hos conciliare suscepit acutissimus Sturmus. Postquam enim variant es

Latinorum ac Græcorum de ipsis formis opiniones compendiosè retulisset, ita fari circiter pergit: *Sive quis reperiundas in animalium plantarumque corporibus substantias corporeas tenuissimas, ignem puta vitalem & spiritus animales per organica illa corpora artificiosissimè iam formata diffusas, non animas tantum eorum, sed formas quoque xα) εζοχiv salutare haud renuerit, cum recentioribus (ψ); s. per formas non entitates quasdam absolutas, sed ex talium plurium certà coordinatione, junctura & mutuo respectu resultantes, proprias cuius generi corporum habitudines intelligere voluerit cum Honorato Fabri (α); cadent, uno quasi actu perpetue ille de formarum origine & productione lites, aut saltem ad pauca animarum exempla transferentur; speciali & attentata harum consideratione facilius definienda: cum forma dicto modo concepta propriè loquendo non producantur, sed organici partibusque corporis alicujus, quæque ad futuras ejus functiones faciunt, omnibus ritè junctis & unitis & correspondentibus, eodem modo, quo forma herologii, resultent. His subtilissimus Physicus modis generatim componit prolixam facis inter plures disceptationem; subnectens postea speciales & Eductionis & Inductionis, Traductionisque sensus; quos juxta qualibet illarum s. m. admitti possit (α). Atque ita emolliendo, expoliendo, & temperando dissidentes ad unam vocare mentem, ausu fortassis haud frustraneo, conatus fuit. Sed, si magis è Diametro contrariari sibi videantur adversæ partes; ita, ut altera cohors sit directè negantium, directè affirmantium altera; quid rum agendum? Est dispiciendum nihilominus de temperamento quodam, limitationis cum curâ enucleatæ interventu, obtinendo: Idque ubi nequeat impetrari, sunt bonis evolenda & insinuanda modis contrarii asserti incommoda, unà cum argumentis veritatem defendentibus, citra aculeorum additamenta. Esto, non in omnibus; in multis tamen pacifica hæc modestia conspicietur victrix (β).*

(φ) Fuit

(Φ) Fuit his] minusfavens etiam in Mathematicis Petrus Ramus, qui summis votis expetiit rem fermè impossibilem, nimirum, ut rejectis hypothesibus, in hoc laborarent Mathematici, ut puram & integram Astronomiam, vacram hypothesibus, introducerent: quod volui obiter ex Celeberr. Sam. Reyheri Dissertat. de Mundo Kil. Anno 74. recuf. c. 2. sub A. 3. hic monere: locum ipsius Rami allegat ex Procem. Schol. Mathemat. (X). Intendi abs me Controversiam inter Maximè Rever. Dn. D. Alberti & Pl. Rever. Dn. Strimesium, facilè patet; pro quâ ipse Lipsiæ disputare cœpi; estque rem ulterius profecutus Vir Juvenis quidam præstantiss. ante biennium hîc Rostoch. Præsîde, nunc Pl. Rev. Collega M. Dn. M. Weissio. quousque enim consentiant, quousque ve minus ibidem demonstratum reperitur. (Ψ) Vid. hîc allegat. abs Dn. Sturm. Hamel. Phys. Gener. Tr. I. Dissert. I. c. 2. Conclus. I. formarum substantialium rationem in hîc asserto ostendens. (ω) hujus loca lege notata in Physica Conciliatrice p. 42. (α) facit hoc Autor à p. 35. Conciliatric. Phys. (β) Sic in Controversia de animæ immaterialitate an ex lumine naturæ ea sit demonstrabilis, quæritur primo ad opposita temperamentum in limitatione, quæ antecedenter, concomitanter, consequenter secum quid materialis ferre animæ rationalis (quam alii mentem vocare malunt) operationes, non formaliter concedit, ut egregie in discursibus Pnevmat. decidere solet Venerandus Dn. D. Alberti. Quod si hoc ipsum abs adversario adhuc dubium esse judicetur, argumenta ad rem comprobendam facientia veniunt usurpanda.

XV.

Sit denique tertia Regula: *Nec ea, quæ per omnia vel per plurimam penè pugnant, alio modo, nisi inventione tertii cujusdam, temperamento viam aperientis, conciliari queunt, adnexis & locis & argumentis, tertium illud ut agnoscatur efficientibus.* Rem ita declaro. Oritur pugna illa generalior vel circa totam Philosophiam, vel circa integras quasdam Disciplinas. Circa totam Philosophiam aliâ planè sub facie introducendam occupatum præcipuè hoc seculum vidit Renatum Des Cartes, Virum subtilis ingenii, industriaque curiosæ. Et sanè optandum esset, no-  
luisse eum in Philosophiâ planè novum videri hominem, ha-  
bere-

beremus certè in nonnullis, præsertim Mathematica quod at-  
tinet, cur gratias ipsi ageremus. Nunc cum concitare in sese,  
involando in omnium principia, eademque ut destruat, labo-  
rando, omnium animos vix sit veritus ( $\gamma$ ); *Usque adeò exo-  
sum hodiè est Cartesianorum nomen, non Viris tantum Theologis  
ac Philosophis bene multis, sed integris quoque Collegiis & Acade-  
miis Germania nostra, ut Cartesianus qui audit, gravi videatur  
multis urgeri convitio* ( $\delta$ ). Quid? quod pereum ad recentio-  
res ferè quoslibet aliquid istius odii redundaverit. Cre-  
diderim interim ego non adeò difficulter cum sententiis rece-  
ptis Cartesianas, vel quasdam & ex parte saltim, inquisito ali-  
quo temperamento, esse conciliabiles, si non tam de modo  
proponendi & eloquendi, quam ipsis realibus libeat sollicitis  
esse. Tentabimus rem in uno tantam. Quid de Cartesii  
primo principio: *Cogito, dubito, sum*, statuendum judicemus,  
alibi diximus ( $\epsilon$ ); dicamus jam de alio; veritatis videlicet  
ignorismate: *Quicquid clarè & distinctè percipio, illud verum est.*  
Haud nego, si ita crasse, ut jacet, intelligatur, multis subjacere  
difficultatibus ( $\zeta$ ): Age, tamen videamus paulò, quæ in re-  
cessu habeat, & forte non multum abs Nostris abibit dogmati-  
bus. Quid enim est clarè percipere? rem ita percipere, ac si ha-  
beas ante te in tabella exscriptam, quoad minutiora puncta, ut  
nullum horum negligere possis; quid distinctè rem percipe-  
re? ita partes ejusdem rei ordinare, ut, quæ abs sese salvâ ipsâ  
separari nequeunt, relinqvantur conjunctæ, separentur vicif-  
sim in cognitione, ut res omnis evadat clarior, quæ tam pro-  
pinquam non adeò postulant conjunctionem. Hòc utroque  
modo qui aliquid percipit, & quousque percipit, verè percipit.  
Huc tandem redibit, si ab inanibus adpendicibus liberare i-  
llum Canonem & temperamentum aliquod adhibere velimus  
( $\eta$ ). Jam exprimat hie sensus clarius: *Qui res ita percipit, ut  
in se habent illæ, veritatem cognitionis s. Logicam nactus  
esse*

esse dici debet: hæccine an diversa adeò abs Nostris sunt (γ)?  
 Utriv. hic successitres, sic succedet fortè in pluribus, simulq; præ-  
 reptâ disputationibus minus utilibus materiâ, suscipientur gra-  
 tius abs Cartesio (δ) quæ bona habet, sicut dein vel condona-  
 buntur, vel solidè refutabuntur, quæ minus placent: & in Phi-  
 losophiâ (de quâ solâ loquor; nequaquam enim excusamus  
 intempestivam minus verorum, minusve verè expositorum ad  
 altioris Sapientiæ decreta adplicationem) pudent se iterum  
 quædam halcyonia; ut non tam de totâ constituendâ perpe-  
 tuò disquirendum, quàm de incrementis promovendis ulterius  
 cogitandum sit. Atque idem circa integras disciplinas ob-  
 servandum esse arbitramur. Est in his maxima cura de Nor-  
 mis & Principiis directivis, quæ in promptu si sint, ex voto flu-  
 unt benignius abs normis & Principiis dirigenda. Multa me-  
 rerentur h. l. perustrationem, nisi angustia temporis aliud di-  
 ctitaret. Illa comprehensus sum his paucissimis: si ve-  
 lit feliciter concordare reddere eos, qui circa normas ac directi-  
 va principia dissentiunt, Conciliator Noster, dispiciat prius de  
 objecto ejusque considerandi modo; cui lubenter se accom-  
 modabunt ista, per quæ deduci rectius in actum debet. Nec  
 abhorreat omnino à particularibus propositionibus, quæ con-  
 junctim sumptæ unum constituant resolvens, toti rei adaptan-  
 dum; sic enim dabit cui libet aliquid, & totum interea lucra-  
 bitur (ε) Quod consilium in particularibus etiam contemnen-  
 dum haud est; sanè, si quodpiam, pacificum (κ).

- (γ) Conf. hanc in rem dissertat. ejus de Meth. & præcipue p. 19. ubi  
 in Philosoph. hæcenus nulla satis certa principia inventa fuisse affir-  
 mat. (δ) Verba sunt Dn. Sturmii initialia ex Disput. de Cartesio &  
 Cartesian. (ε) in Disp. de Bono Cunctatore n. XX. (ζ) ostensum  
 hoc à pluribus est; & valeret, si sic nudè accipiendum esset, exceptio  
 passim reperiunda, quod opinio fallax de clara & distincta perce-  
 ptione omne ab hoc Canone expectandum commodum interceptat.  
 (η) Veritas enim Logica est conformitas conceptus cum re percipi-  
 endâ

endâ, ceu notum. Vid. interim ipsas descriptiones Cartes. Pt. P. I. §. 45. Procul tamen esse iubemus, quæ de deceptore Genio, & infal-  
 libilitate inspergit; de quibus, si res ex professo ventilanda foret, alia  
 proferri possent. (9) Hæc Sententia arridet Dno. Sturm, in citat.  
 modo de Cartes. Dissertat §. 1. & ultim. Certum enim est, ceu jam  
 in superioribus monitum, *Multa Platonem, multa Democritum, E-*  
*picurum ac ceteros antiquiores Philosophos, Aristotelem etiam non*  
*pauca, de Natura & Naturalibus rebus & prudenter scivisse; &*  
*si plus veri ac certi hoc nostro seculo, quam superioribus circa cælestia*  
*pariter & terrestria Phenomena detectum dicendum est, ita tamen*  
*dici posse ac debere, ut non tam ingenium, sed ac laborum toleran-*  
*tiam, quam ea organa, eamque experimentandi methodum ac me-*  
*dia, quibus moderni Philosophi adeo feliciter utuntur, defuisse can-*  
*dide moneretur. Vid. Dissert. allegat. p. 27. (1)* Sic si quæ ratur, quæ  
 Physicam dirigere debeant Principia, nolim pro adæquato agnosce-  
 re Sacras literas, hominis intellectum &c. interim tamen nec ullum  
 eorum, quod alicui placuit, penitus rejicere, sed s. m. admittere; ita  
 licet Sacræ literæ non contemplantur aliqua naturalia, quæ talia,  
 suppeditant tamen interdum Physicis quædam contemplatione di-  
 gna, e. g. Aquas supra cælestes &c. vid. Venerand. Dn. D. Alberti,  
 C. J. N. P. I. c. 1. §. 19. ne adjiciam nunc, ita informandam esse Phy-  
 sicam Christianam præsertim, ut ne quid admittat contra Scriptu-  
 ram &c. (x) Vid. iterum Venerand. Dnm D. Alberti in Diss. de  
 Pluvia Prodigiol. §A. 67. hab. c. 3. §. 5. Ubi inquit, *Natura, præser-*  
*tim si cum naturata jungas naturam, longissimas habet manus &*  
*rem eandem aut similem diversis modis producere consuevit. Hinc*  
*propositio una universalis de unâ tantum causa minus tuto; plu-*  
*res particulares de pluribus causis certius formantur.*

#### XVI,

Et hætenus breviter de *Conciliandi modo*; cujus Sciagra-  
 phiam unde meliorem, quam ex ipsâ Præfatione Sturmiana  
 supra jam positam haurire licebit? Quid enim satius in Physi-  
 cis, quam ante oculos habere primùm ea, quæ ipsi sensus, ipsa  
 experimenta, ipsæ observationes docent? quid ad forman-  
 dum iudicium aptius, quam plures alios unâ cum rationibus  
 audi-

audire? quid denique ad decisionem necessarium magis, quàm prævalentia argumenta ponderare, vincensque subscribere; de reliquis, quæ veritas postulat, notare? Sanè, si simili methodo non displiceat uti in ceteris disciplinis, non est futurus absque fructu conatus. Incipiam abs Politicis, quorum est, civiles actiones rectæ rationi conformare; Jam colligantur illæ & distribuantur, percenseantur casus, in quibus se ut exerant, status requirit, attendantur diversæ viæ, per quas incedere solent administrantes, & quæ accedant ad rectam rationem, perspectam alio loco, quæ non, dispiciatur, obferet se semita, quam pax excipiet & felicitas ( $\lambda$ ). Subjiciam his Moralia, multis quoque litigiis obnoxia. Nam quamvis habeant se in iis singularia mediocriter, nec desint unquam rectè vivendi exempla, necessitas tamen talium factorum diverso apud diversos nititur principio. Venit quàm maximè statûs primævi, qui supponitur ab omnibus, qualitas in disquisitionem dum pro misero quidam militant, quidam pro recto. Optimam hinc conciliandi rationem iterum abs ipsis actionibus peti posse arbitror; quæ cum imperfectæ sint, atque ad perfectionem reduci cupiant, non poterunt non perfectiorem desiderare normam. Si tamen imperfectiori & misero Statûi quid dandum, inveniatur per Conciliatorem nostrum locum in Disputationibus κατ' ἀποφασιν ( $\mu$ ). Adnectam Psychologica; pariter per observationes operationum mentis in unum redigenda; neque Logices curas planè prætermittam; quamquam etiam vel unicusim mentionem injecturus: idque erit indagatio Usus; ex quo dijudicari posse credo, quid de qualibet parte mereatur tractationem, quid minus? Item ponderari, an eidem satisfactum hæctenus sit, annon? futurum, non dubito, ut multæ Logicorum desinant controversiæ, si usus practicus constituatur mensura ( $\nu$ ). Cetera ( $\xi$ ) nunc dimitto, dum ad terminalia respicere propius, hora jubet: hoc repetens ex

antecedentibus: Omnia hæc ita agenda esse, ut requisita postulata doceant suam in Conciliatore præsentiam.

(λ) Pax & felicitas ipsius practicæ adplicationis; pax tamen quoque & felicitas theoreticæ informationis. Sanè ubi defectus & excessus per ipsa exempla demonstrantur, addunturque simul lat evidentes rationes, ibi vis convincendi duplex fortiorque concurrat, ibi non potest non feligi optimum. vid. de his Politicos ipsos, & quomodo huc adplicari queat fenestra Momi ex Verulam. de Augm. Sc. L. VIII. c. 2. f. 223. tecum meditare. (μ) Conferantur interim de statu Naturali & Legali passim autores; imprimis B. Thomaf. disputat de utroque jam pridem hab. ejusque Tab. Polit. de Societat. nec non Venerand. Dn. D. Alberti Præfat. Part. I. C. J. N. præmissa. (ν) Fatentur enim vel ipsi Logici hæctenus, quod multa sint absque Usu Practico, de quibus tamen prolixè inter ipsos disputatur. Cui bono igitur? (ξ) aliàs pertinerent etiam aliqua huc per Metaphys. de eruditorum loquendi licentia, speciali Dissertat. à Dn. Rechenberg A. 69. Lipsiæ declarata; quæ videri & legi potest. (ο) Unde etiam omnino memoriæ imprimenda illa Dni. Sturm. ex Philof. Electiv. verba: quæstis & coactis interpretationibus non malè collocandum tempus esse &c. vid. c. 5. §. 5.

### XVIII.

Unum restat, antequam receptui canam, paucissimis delibandum. Scio, dubitari, an hoc omne negotium unius dici hominis possit? Et non immerito. Hinc fatemur, si res esset universim rectè conficienda, non nisi plurium & æstimatorum consiliis prudenter susceptis & expeditis id tribui valere & debere (π). Si particulatim, non deesse uni vim in uno alterove procurandi pacis negotium. Ceterum liceat omnem mentem nostram, sicut usque huc plerumque, alius Viri Celebratiff. (ρ). verbis eloqui: *Si structura moles & vastitas, si operum ornatusque, columnarum ac trabeationum, fornicum & conclavium, sculptura & pictura, ceterorumque varietas unius architecti manum etatemque eludant, aut pluribus unà diversarum ædificii partium cura demandanda est, aut defunctis prioribus alii*  
sub-

subinde surrogandi veniunt, qui coeptum opus continuant, aliqua etiam pro re nata corrigant & immutent; quicquid etiam operis magnificentiae aut partium symmetriae & Eurythmiae inde decesserit, ut quimus ajunt, quando ut volumus non licet.

(π). Vid hinc Procem. L. 2. de A. Sc. à Verulam. editi f. 38. sqq. & confer instituta Collegior. eminentium. (ε) quis is alius est, quam Dn. Sturmus quò cum loqui, ubi possumus, lubentissimè solemus. Extant verba in Dissertat. saepius laudat. de Philos. Elect. c. ult. §. 6. add. Drejeri illa in Philosoph. Prim. Praefat. ad Lector. Philosophia unius hominis inventum non est, sed plurimorum per tot secula experientia nititur,

### XVIII.

Atque ita ad finem propero. Quamvis enim non negem, longè plura debuisse & potuisse proferri in medium de hac materia, non tamen licuit mihi tam felici esse, ut vel per horulae spatium absque avocamentis eidem valuerim invigilare. Quicquid ergo hic scriptum est, primas saltem tam arduae rei lineas referens, ut aequi bonique abs B. L. consulatur, quã fas est humanitate rogamus. Clausulae tamen loco adjicimus Symbolum Conciliatoris Nostri, credimusque absolvi id voce hac trita: *Medium tenere beati* (σ); cum omnis CONCILIATIO tum optimè instituta censeri queat, si media inter Scyllam atque Charybdim, utramque hanc devitans, progrediatur, neque vel sublimia nimis petat, vel nimis humilia. Quorsum facit Alphonsi Arragoniae Regis dictum: *Optimum fore & peroptandum si voluntas nostra inter amorem & metum media intercederet; ut quantum amor ad excessum, tantum metus pelleret ad defectum.* Nec absudit aliud Maximiliani, ut arbitror, *I. semper cum cautione* (τ). Talia enim monita, ubi observaverit ritè CONCILIATOR Noster, rectius ad metam perveniet sibi propositam. Interim si quid in his est, quòd verò repugnare, quòd aliquem Bonorum laedere videatur (à quo vitio u-

troque nostra mens abesse studet) id indictum, id ex  
punctum esto!

*Sit verò summo Pacis ac Tranquillitatis Datori Laus & Gloria!*

(σ) Dedit ansam meditationi de hoc symbolo Disputat. Theologica In-  
augural. Viri Pl. Rev. & Excell. Dn. L. Felleri, Lips. Poet. Prof. P. de  
Medio in Theolog. (τ) Vid. Reufner. in Symb. Cæl. adductum à  
Dürrio in Ethic. Paradigm. p. 125.

ΕΠΙΜΕΤΡΑ.

I.

Quamvis non desint, qui aquam esse omnium corporum subluna-  
rium principium primum, idque materiale, dicant, argumenta tamen, qui-  
bus utuntur, penitus inspicienti haud satisfaciunt.

II.

Invenio apud Sapientes honestissimum esse, Majorum vestigia sequi,  
& modò recto itinere præcesserint. Plin. L. V. Epist. 8:

III.

De his, quæ sensui immanifesta sunt, tunc arbitramur sufficienter de-  
monstrari ratione, quando ad ea, quæ ostensa sunt, nullum sequitur im-  
possibile. Aristot. L. I. Meteor. T. 29.

IV.

Duo sunt prima totius Philosophiæ fundamenta, unum veri & falsi  
judicium, alterum finis bonorum. Neque enim sapiens esse potest, qui  
aut cognoscendi initium ignoret, aut extremum expetendi &c. Perer.  
L. IV. de rer. natur. princ. cap. 10. procul dubio ex Cicer. L. IV.  
Acad. qv.

V.

Esto Regula: Oportere discitem credere; non deesse poterit  
altera: Oportere jam edoctum iudicio suo uti, Verulam, de Augm.  
Sc. L. I, fol. 12.

Pax

**P**Ax potior bello, pax quæritur arte cathedræ,  
Qvi tollit litem, haud qvi movet, ille sapit.  
Fervida cum vero falsum contentio miscet,  
Qvi bene distingvit conciliare potest.  
Hanc methodū sequere, *Alberti*, duce Præside justā,  
Arbiter & doctæ tu mihi pacis eris.

J. C. Schomerus, D.

**U**T magnum licet æstuans ahenum  
Confutat gracili truā magirus,  
Ne vis impetuosioris undæ  
Implacabilibus vagata bullis  
Obturbet crepitantis ignis æstum:  
Sic, quas conglomerant opinionum  
In ponto sapientiæ procellas  
Præceps insubidè loquentis ardor,  
Vel conamine fluctuosioris  
Mens præjudicii gravedinosa,  
Hæsidunt operosius repressæ  
Facili ratione *proxeneta*,  
Qvi de *conciabulo* Sophorum  
*internuntias*, omnè tortuosum  
Constringi cupit arctiore gyro.  
Hæc *Philæ* *oratorum* *parariorum*  
Fungens officio manus retundit,  
Ne vastos in amabilesqve fluctus  
Fors in simpuvio minus capace  
Fallax scipio nugivendulorum,  
Pruritus malè dissidentiumqve  
Vanâ suscitet æmulatione.  
Hæc virtute licet juvante rectum

D 3

Per

Per moles tumidas tenere clavum,  
 Si lenis placidi color sit oris,  
 Et pacis studio serena mentis  
 Sit Symphonia pertumultuosos  
 Sedans vociferantium furores:  
 Nec vaneſcere veritas adaſta  
 Ob perterricrepas negationes  
 Et tot rhonchiſonas calumniarum  
 Sannas, futilitatis involacra,  
 Elabatur inanitate miſſa.  
 Qvi ſub præſidio VIRI BEATI  
 Collegæ mihi gratioſioris,  
 ALBRECHTI Sophies ſecute caſtra,  
 Laxas eloquio ſolutiore  
 Rivoſingeniî ſuperfluentis,  
 Etpectus ſatagis palàm probare  
 Doctrinæ cupidum venuſtioris,  
 Hoc tractas opus uſque quaque clarum,  
 Quâ re pacificus *Sophus* ſubortæ  
 Litis *conciator* eſſe poſſit.  
 Sit felix labor hic ſacratus orbi!  
 Fructus fertilis eruditionis,  
 Famæ iudicium nec erubeſcat:  
 Speratamque tibi faventioris  
 Sortis *conciat* ſerenitatem,

*Enochus Svantenius, P. P.*

**C**ONCILIATORIS munus dum ſiſtis, Amice,  
 PHILOSOPHI, cedit fauſtiter, opto, labor!  
 Concilies ſtudio hęc TIBI fervente favorem,  
 Et pax iſta quidem tunc ſapientis erit.

ſcr. in honorem Præ-Exim. Dn. Reſpond. Audito-  
 ris & Fautoris ſ. æſtumatiff.  
 PRÆSES,

Qvid

**Q**uid multum latuisse juvat? pulchramne Coronam  
Miles cum phaleris, absqve labore capit?  
Florentem studiis Juvenem pudor anne retardat?  
Sæpius audentem turbat & ipse timor.  
In medium prodis, monstrans conamina laudum,  
Lingvaqve tam doctum docta gubernat opus,  
Hinc natale solum felicia quæqve precatur.  
Adplaudens Nato, *Splendida Riga*, suo.  
*Conciliet Magnos animorum Conciliator*  
*Summus Fautores, commoda magna, Tibi.*  
Perge, caputqve tuum, studiis sublimibus effer,  
Exemplo ut fias clarior ipse tuo.

Honorem Literatiss. atqve Pereximii Dni. Respondentis,  
Amici sui jucundissimi adaucturus, hoc quicquid est,  
infucato animo, L. M. Q. apposuit.

*M. Joachimus Lindemann. Rost.*

**N**on satis est multos Doctorum volvere libros,  
Sed decet ut reddas tempore lecta suo.  
Sic Felix poteris multorum ritè favorem  
Hæc cum Doctrinâ, *conciliare Tibi.*

*Paucula hæc Amico ut Consalino meo suavissimo  
p. volui & debui,*

*Matthæus Müller / Dantiscanus.*

*PROV. XII.*

Qui pacis ineunt consilium, sequitur eos gaudium.

**Q**uis placet in litem studio certaminis ire  
Dæmonis ut nomen Dæmonis omen habent.  
Quos amor e contra pacis tenet, atqve ea cura,  
Ut concors animus consona mensqve fiet.

Nu-

*Numipis ut socii Coelestis, pacis amica  
Aetheris, capiunt sic bona cun Et a poli.  
Illorum sequitur pacem jucunda voluptas  
Quam pius aethereo nectare pascit amor.  
Afferis ergo probe studium jam pacis, Amice,  
Praeside sub Celebris, pace fruare Dei!*

*Hac, ex voluptas*

**Christianus Pristaff / Zednic. March.**

---

**Q** Vi iam publicitūs, magno duce Praeside, monstras,  
Qui res Philosophum conciliare queas,  
Ingenii dotes ostendis. Pergito scripta  
Conciliatorum volvere Philosophum.  
Et tibi doctrinam magnam, laudemque celebrem  
Philosophi docti conciliare potes.  
Sic labor in Patria tibi laudes atque favorem  
Concilies, nec non commoda, Amice, precor!


*Hac pauca in favorem ac honorem praestantiss. Da.  
Respondentis adjicere voluit,*

**CHRISTIANUS CALIXTUS, Revalia Livonnis.**









denique ad decisionem necessarium magis, quam  
argumenta ponderare, vincensque subscribere  
is, quæ veritas postulat, notare? Sanè, si simili  
displiceat uti in ceteris disciplinis, non est futu-  
actu conatus. Incipiam abs Politicis, quorum  
iones rectæ rationi conformare; Jam colligantur  
antur, percenseantur casus, in quibus se ut ex-  
quirit; attendantur diversæ viæ, per quas in-  
administrantes, & quæ accedant ad rectam ra-  
rectam alio loco, quæ non, dispiciatur, obferet se  
pax excipiet & felicitas ( $\lambda$ ). Subjiciam his Mo-  
voque litigiis obnoxia. Nam quamvis habeant  
laria mediocriter, nec desint unquam rectè vi-  
a, necessitas tamen talium factorum diverso apud  
ur principio. Venit quàm maximè statûs pri-  
ponitur ab omnibus, qualitas in disquisitionem  
ero quidam militant, quidam pro recto. Opti-  
ciliandi rationem iterum abs ipsis actionibus pe-  
or; quæ cum imperfectæ sint, atque ad perfe-  
ci cupiant, non poterunt non perfectiorem de-  
nam. Si tamen imperfectiori & misero Statu  
, inveniatur per Conciliatorem nostrum locum in  
ous καὶ ἀνθρακιν ( $\mu$ ). Adnectam Psychologica;  
bservationes operationum mentis in unum redi-  
te Logices curas planè prætermittam; quan-  
el unicusim mentionem iniecturus: idque erit  
is; ex quo dijudicari posse credo, quid de quali-  
eatur tractationem, quid minus? Item ponderari,  
s factum hæcenus sit, annon? futurum, non du-  
æ Logicorum desinant controversiæ, si usus præ-  
uatur mensura ( $\nu$ ). Cetera ( $\xi$ ) nunc dimitto, dum  
a respicere propius, hora jubet: hoc repetens ex

D

all-